lib. quinto, loquitur enim suppósita pro vera opinione Canonistarum.

9 Quod si pendente conditione illius matrimonij initi coram parocho, & testibus contrahentes habeant copulam, præsumeretur Ecclesia recessisse à conditione, & perfecisse matrimonium attento sure communi, juxta *capit. de illis, & per tuas de condi. appos.* non tamen post Concil. Trident. cum requiratur nouus consensus de præsenti exprimendus coram parocho, & testibus juxta eius formam, & communem opinionem, veriorem Theologorum supra adductam: & hoc non tantum in foro externo, vt voluit Thom. Sanch. statim citandus, & iterum *lib. 1. disputat. 26. num. 12.* vbi expresse tenet, & probat id, sed etiam in matrim. cum post conditionis implementum requiratur nouus consensus expressus ad perficiendum matrim. sub conditione honesta, & possibili ab initio: & Concilium corrigat matrimonia præsumpta, vt supra in matrimonius nullis probauimus contra eundem Thom. Sanch. qui etiam in hoc *in d. disputatione 8. num. 25. lib. 5.* prosequens suam priorem opinionem tenet contrarium.

10 Idem censeo dicendum si duo consanguinei contrahant coram parocho, & testibus per verba de præsenti sub conditione: si Papa dispensauerit suppósita opin. Theologorum, quam tenuimus contra Canonistas, quæ habet non esse matrimonium absque nouo consensu, quamuis Thom. Sanch. *disput. 8. num 26. in principio* teneat contrarium suppósita opinione Canonistarum contraria, quam ibi *num. 10.* ipse tenuit & defendit.

11 Sic etiam Sponsalia de futuro quamuis antiquitus adueniente conditione per copulam transibant in matrim. juxta *capit. is, qui fidem de sponsal.* & docent communiter DD. tam Iurisperiti, quam Theologi, quos ibi refert Sanch. *num. 26.* & alij quamplurimi; hodie tamen post Concil. Trident. hoc est correctum, cum cessauerit matrim. præsumpta, vt ibi quoque probat, & nos docuimus supra alio capit. quamuis secus esset si sponsalia illa, & copula habita affectu vxorio fieret coram parocho, & testibus, quia jam seruatur forma, vt tenet Sanch. *d. num. 26.* & diximus *vbi supra.*

12 Et an tunc requiratur in ipsis scientia dispensationis obtentæ necne? discrepant DD. in hoc, quos, bene conciliat ibi Sanch. ita nempe vt si nomine contrahentium sit obtenta dispensatio, sat sit vt is, qui impetrauit, sciat esse obtentam: si vero non nomine eorum, sed ipsis ignorantibus impetrata sit dispensatio, necessarium est, vt sciant eam esse obtentam, quia alias nil prodesset dispensatio, nec priuilegium, quare perinde esset, ac si sine dispensatione commixti essent, cum illa à tempore scientiæ impetrantium, vel procuratoris tantum prosit.

13 Quod si conditio adiecta sponsalibus sit de dote constituenda, quamuis olim recedi videbatur à conditione per copulam, & hodie etiamsi omnia fiant coram parocho, & testibus hoc tamen intelligendum est ad hunc effectum, vt non expectetur conditionis euentus ad purificandum matrim. non tamen, vt dotis soluendæ obligatio extincta sit quia hoc nullo jure deciditur, ita Sot. *in 4. Sent. distinct. 29. q 2 art 3. post tertiam concl. vers. contra hoc autem*, quem refert, & sequitur Thom. Sanch. *lib. 1. de matrim. disputatione 26. num. 13* & recte.

14 Denique illud est obseruandum, quod si contrahens matrim. de præsenti sub conditione honesta, reuocet consensum ante conditionis euentum, nullo modo adueniente conditione purificatur matrim. sed cogendus est purificare, quia jam prior consensus non durat: gloss. *in c. super eo, verbo alieno de condi. appos.* & ibi communiter DD. Couar. *in 4. Decret. 2. parte, c. 3. in initio numer. 6.* Marc. Anton. Cuch. *lib. 5. instit. mas. titul. 11. numer. 54.* & alios allegans Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 8. num. 1.* vbi quod hoc procedit etiamsi reuocatio altero ignorante fiat juxta tex. *in c. fin. de procurat. in 6.* secundum Couar. & Cuchum *vbi supra.*

CAPITVLVM LXXXII.

De conditionibus contra substantiam matrim. turpibus & impossibilibus adiectis matrimonij contractibus.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones contra substantiam matrimonij in ipso appositæ vitiant illud, conditiones vero turpes, aut impossibiles pro non adiectis habentur, vt in exemplis hic positis, & in numer 21. & 38.*

2 *Bona matrimonij tria considerantur, vt hic.*

3 *Conditiones, & pacta contra tria bona matrimonij tollunt ipsius substantiam, & consensum debitum.*

4 *Conditio contra substantiam matrimonij in ipso adjecta quando ipsum vitiet, vel non? & numeris sequentibus, vbi quomodo hoc intelligendum sit.*

5 *Conditio adiecta matrimonio, nempe si te adulterandum tradideru, est contra substantiam matrimonij, ac proinde illud vitiat.*

6 *Conditio adiecta matrimonio, scilicet si prolem neces, aut mutiles, aut eam mancam reddas, aut oculos eruas, est contraria bono prolis, ac proinde vitiat matrimonium.*

7 *Conditio illa adiecta matrimonio, scilicet si prolem à nobis semper abjiciamus, & alendam exponamus, an vitiet ipsum matrimonium?*

8 *Conditio apposita matrimonio, nempe contraria bonis ipsius, si est honesta, aut illud vitiet, vel tantum quando est turpis?*

9 *Matrimonium contractum inter Beatam Virginem Mariam, & Ioseph, quomodo processerit?*

10 *Conditio adiecta matrim. scilicet contraho tecum si prius de voto castitatis sic obstrinxeris, vt nunquam à me petas, nec reddas debitum, an vitiet matrimonium? Et quid in pacto, vel conditione adiecta de non exigendo debitum, num. 14.*

11 *Conditio, vel pactum adiectum matrimonio, vt liceat ingredi religionem ante consummatum matrimonium, illud non vitiat. Secus in conditione, quod teneretur ambo, vel alter ingredi religionem ante vel post matrimonij consummationem, num. 16.*

12 *Conditio illa adiecta matrimonio, nempe quod alter coniux minime teneatur debitum reddere, quoties alteri petere non licet, an vitiet matrimonium.*

13 *Conditio apposita in matrimonio ab altero tamen coniugum contra substantiam matrimonij an illud vitiet?*

14 *Consensus diuersitas vitiat contractum, vt quando alter pure consentit, alter vero sub conditione.*

15 *Conditiones adiectæ in sponsalibus de futuro contra substantiam, & naturam ipsorum ea vitiant.*

16 *Matrimonij in materia, in dubio in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium: in foro vero externo præsumptioni juris Ecclesiæ.*

17 *Ecclesia nunquam præsumit verum matrimonium, vbi ex ipsa forma contractus non apparet consensus & quare excludat turpem conditionem.*

18 *Et quid in aliis contractibus, num. 24. & 30. vbi ratio differentiæ in hac specie assignatur, quare conditio turpis in matrimonio non vitiet ipsum, alios vero contractus irritet?*

19 *Conditio adiecta matrimonio, nempe si te adulterandam prostitueris, incitat ad peccandum, & non rejicitur, sed vitiat matrimonium.*

20 *Conditio turpis adiecta matrimonio illud vitiat, quoties contractuis apparet non alter contrahentes voluisse contrahere.*

21 *Conditio turpis de præsenti, vel de præterito non rejicitur de matrimonio illa verificata, vt in exemplis, de quibus hic; secus autem non.*

22 *Conditio in sponsalibus de futuro adiecta, scilicet contraham tecum si mecum concubueris, an sit turpis necne?*

Et quid in aliis conditionibus, scilicet, si te virginem inuenero, vel si in primo coitu mihi placueris, numero 29.

23 *Conditiones turpes apposita in sponsalibus de futuro rejiciuntur, sicut apposita in matrimonio.*

24 *Conditiones impertinentes, vt hic, suspendunt matrimonium.*

25 *Modus turpis aut impossibilis, vel contra substantiam matrimonij appositus in eo an illud vitiet? & numeris sequentibus.*

26 *Sponsalia contracta in diem, nempe contraham tecum abhinc vno anno, an sint valida, & obligent?*

27 *Cap. fin. in 2. parte de condi. appos. 7. intellectus, qui omnes reprobantur.*

Et num 41. ponitur verior, & tenendus.

28 *Conditio impossibilis reputata à contrahentibus possibilis, non rejicitur à matrimonio, vel sponsalibus, vt hic.*

29 *Conditio impossibilis ad hoc vt rejiciatur à matrimonio, requiritur quod illud contrahentes conscij sint iuris hoc disponentis. Item quod sit dubia contrahentium intentio an animo consentiendi, vel potius irridendi eam conditionem apposuerint: secus si ex aliis coniecturis constaret conditionem impossibilem appositam fuisse ioco absque animo contrahendi vt in num. 44. & 45.*

30 *Conditio impossibilis apposita in matrimonio siue de præterito, præsenti, vel de futuro rejicitur.*

31 *Conditio impossibilis de iure apposita in matrimonio rejicitur sicut impossibilis de facto.*

32 *Conditio de solo facto impossibilis, an rejiciatur de matrimonio.*

33 *Conditio adiecta matrimonio, quæ ex sui natura possibilis est, sed ex accidenti impossibilis, vel ex lapsu temporis, non rejicitur de matrimonio.*

34 *Conditio adiecta matrimonio, si virgo es, non rejicitur sed valet.*

35 *Conditio impossibilis contraria substantiæ matrimonij an sit rejicienda?*

36 *Conditio illa adiecta matrimonio, si non ascenderis Capitolium, an rejiciatur, vel annullet matrimonium?*

1 Gregorius IX. Summus Pontifex *in cap. fin. de condit. appos.* decreuit, quod conditiones contra substantiam matrimonij, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationis prolem euites, vel donec inueniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, vitiant matrimonialem contractum, quantumcunque sit fauorabilis, licet aliæ conditiones apposite in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter eius fauorem pro non adiectis haberi. De primis conditionibus contra substantiam matrimonij agit etiam idem statuens *l. 5. tit. 4. partita 4.*

De conditionibus contra substantiam matrimonij.

De secundis *lib. 6.* quæ est finalis eiusdem tituli, 2
& vtrobique Gregor. Lopez.

Circa priorem partem *dict. cap. fin.* de conditionibus contra substantiam matrimonij agentem obseruandum est, in matrimonio tria bona considerari, nempe bonum fidei, quam mutuo sibi coniuges in vita coniugali præstant: deinde bonum prolis, & deinde bonum sacramenti, & per hæc tria bona matrimonium honestatur, ita docent communiter Theologi Magistro Sentent. *in quarto distinctione 31.* qui omnes hanc doctrinam à D. August. didicerunt *lib. 9. super Genes. cap. 7.* & probat Gregor. de Valent. *tom. 4. disput. 10. quæst. 4. de bonis matrim. punct. 1. colum. 1810.*

Et quamuis hæc tria bona matrimonij non sint de eius essentia, quoad exequutionem, sunt tamen de essentia quoad obligationem, vt puta quod coniuges obligentur ad vitam perpetuam & indiuiduam, & ad fidem sibi seruandam, reddendo debitum, negandoque corpus alius, prolemque non impediendam, sed educandam, si Deus eam dederit, vt late explicat Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 2. disputatione 29. numero 12.* repetit *lib. 5. disputatione 9. numero 2.*

Vnde conditiones, & pacta, per quæ coniuges ad 3
aliquid his contrarium obligantur, tollunt matrimonij substantiam, & debitum consensum, vt *in d. cap. fin. in 1. parte, & in d. l. 5. tit. 4. partita 4. & in cap. solet 32. quæst. 2.* & probat latius Thom. Sanch. *d. libr. 5. disput. 9. num. 3.* vbi *num. 4.* quod hoc procedit etiam stando iuri naturali, vt bene docet Petr. à Ledesma *de matrimon. quæst. 47. artic. 3. dubio 4. conclus. 2. & 3.* & quamuis plura contra dispositionem *d. c. fin.* in sua prima parte pro oratione dubitandi adducat idem Thom. Sanchez *numero 1.* eis tamen satisfacit *numero 14.*

Nunc vero decisio *d. cap. fin.* in prima parte, dum 4
loquitur de conditionibus contra substantiam matrimonij in ipso adiectis, vt illud vitient, primo intelligi debet, quando conditio adiecta aduersatur præsenti matrimonio; secus vero erit, si alij matrimon. adjiciatur, quia tunc præsens matrimon. non vitiabit, vt contraho tecum si feceris, vt coniux Petri adulteretur, vel sumat venena sterilitatis, vt docet Palud. *in 4. Sentent. distinct. 29. quæst. 2. artic. 5. numero 27.* Luodouic. Lopez *in suo Instruct. conscient. 2. parte in materia de matrimon. cap. 42.* quos refert, & sequitur Thom. Sanchez *d. lib. 5. disputatione 9. numero 5.* quare talis conditio tanquam turpis rejicietur iuxta *d. cap. fin. in 2. parte*, & quæ infra circa eam partem agemus.

Secundo eadem prima pars *dict. cap. fin.* intelli- 5
genda videtur, siue conditio repugnans substantiæ matrimonij de futuro, siue de præsenti, quia text. in hoc indistincte loquitur de his conditionibus, vt vitient ipsum matrimon. ita tenet D. Thom. *in quarto distinctione 29. quæst. vnic. artic. 3. quæstiuncula 3.* & alij plures, quos refert ibidem Thom. Sanchez *numero 6.*

Contrarium tamen verius esse videtur, nempe quod sola conditio de futuro contra substantiam matrimonij illud vitiet, secus quando est de præsenti, vel de præterito, quia tunc valida erit conditio:

 text.

text. namque *in d. cap. fin.* loquitur de conditionibus, sed conditio proprie non est, nisi quando confertur in futurum: denique Summus Pontifex id exprimit *ibidem*, nempe, si alter dicat alteri, contraho tecum si generationis prolem euites, & donec inueniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas: idem constat ex *d. l. Regias, titulo 4. partita 4.* vt patet in eius exemplis supra relatis, & multum interest in proposito inter has conditiones, vt patet ex Authoribus hanc secundam partem tenentibus contra primam, qui sunt, Palud. *in quarto, distinctione 29. quæstione 2. artic. 5. numero 26. & 27.* Adrian. *in quarto, quæstione 3. de matrimon. dubio 9. §. respondeo ad primum, quod maior, verficul. ex hoc patet responsio ad secundum, & in verficul. ad tertium dico*, D. Couarr. *in quarto de sponsf. 2. parte, cap. 3. §. primo, numero 9.* Enriquez *lib. 11. de matrim. cap. 12. numero 7. & cap. 4. numero 1. in commento litera F.* Bartholom. à Ledesm. *de matrim. dubio 25. conclusione 10.* quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 9. num. 6.* qui *num. 7.* saluat priorem sententiam in vno casu, de quo ibi per eum.

6 Dubium tamen est circa hanc primam partem *dict. cap. fin. de conditionibus appos.* an procedat non solum, quando adjiciens conditionem contra substantiam matrimon. principaliter intendit, vt sequeretur aliquid contra matrimonij substantiam, vt donec aliam ditiorem inueniam, contraho tecum, qui est casus *d. cap. fin.* sed etiam quando non principaliter id intenditur, sed aliquid aliud, etsi id deficiat, velit matrimonium dissolui: vt contraho tecum, etsi dotem non dederis, aut adulterium admiseris, volo te posse relinquere: & non procedere in hac vltima specie, sed quod talis conditio non vitiet matrimon. sed tanquam turpis rejiciatur, & maneat purum ac validum. tenent Ioan. Andr. *in cap. 1. num. 2.* & ibi Vincent. & Anton. de Butr. *num. 2.* Anchar. *num. 2. & 3.* Abb. *num. 2.* & Alex. de Neuo *n. etiam 2. & in cap. fin. num. 4. de condit. appos.*

Contraria tamen sententia in hac specie verior est, & tenenda, imo quod huiusmodi conditio vitiet etiam matrimon. & hoc eisdem rationibus quibus text. nostri *cap. fin.* in prima parte fundatur: in vtroque enim casu conditio resolutiua est contra substantiam matrim. siquidem tollit eius substantiam ac principale bonum matrimonij, scilicet esse perpetuum, atque inseparabile vinculum: ergo implicat habere legitimum consensum ad matrim. requisitum cum pred. conditione separabilitatis, & ideo merito hanc opin. tenent, & probant Abb. sibi contrarius *in d. cap. fin. numero 2. de condit. appos.* Cardin. *in d. cap. 1. numero 2.* & ibi Præpos. *numero 1. & in d. cap. fin. numero 4.* D. Couarr. *in quarto de sponsf. 2. parte, cap. 3. §. 1. numero 10.* Lanzel. institut. Iur. Canon. *lib. 2. tit. de sponsf. §. sponsalia contracta sub conditione, verb. pura*, Ludouic. Lopez *in 2. parte Instruct. nous in materia de matrim. cap. 42. fol. 1088.* quos refert & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disput. 9. num. 8.*

7 Et conditio contra substantiam matrim. illud vitiat, non solum quando apponitur in vim obligationis, sed etiam suspensiue, vt merito contra Adrian. voluit Couar. *vbi supra, numero 7.* & expressius Marc. Anton. Cuch. *lib. 5. instit. mat. tit. 11. numero 113.* nec non & Sanch. *vbi supra, numero 9.* contra Ludouic. Lop. etiam *vbi supra*, text. namque *in dict. cap. fin. de condit. appos.* generaliter loquitur de conditionibus contrariis matrimon. & proprie est conditio quando suspendit; denique quia quando apponitur ea conditio suspensiue adhuc inducit obligationem repugnantem matrim. quod sub ea conditione contrahitur, ergo adhuc vitiat.

Ex quibus primo deducitur conditionem illam, si te adulterandam tradideris, esse contrariam matrim. etsi non addatur, & mihi debitum non solueris, atque ita vitiare matrim. Quidquid contrarium teneat Angel. *in summa, verbo matrimon. 3. numero 11.* matrim. namque fides vtriusque comprehendit iuxta illud Pauli: Vir non habet potestatem corporis sui, sed vxor, neque vxor sui, sed vir; & præterea hæc nostra, & aliorum sententia contra Angel. probatur *in d. cap. fin.* vbi hoc exemplum expresse ponitur absque pred. additione: merito igitur Angelum reprobant quamplures DD. quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disput. 9. num. 11.* qui omnes hanc partem tenent, quam hic probamus, estque communis, recepta, & secura sententia.

Similiter illa conditio, si prolem neces, aut mutiles, aut eam mancam reddas, aut oculos eruas, est contraria bono prolis, atque ita vitiabit matrim. vt tenet Ludou. Lopez *vbi supra d. c. 42. fol. 1088. colum. 2.* necnon & Sanch. *num. 12.* vbi *num. 13.* agit.

Quid dicendum sit de ea conditione; si prolem à nobis semper abjiciamus, & alendam exponamus licet enim nonnulli censeant vitiare matrimon. tanquam contraria eius secundario fini, secus de illa conditione, ne filios proprio lacte nutrias, secundum Petr. à Ledesma *de matrimon. dubio 25. conclus. 4.* cæterum probabilius est, neutram harum conditionum esse contra substantiam matrimonij, quia non est omnino contra bonum prolis; ita melius tenent Ludou. Lop. *vbi supra*, & Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 47. artic. 5. dubio 4. ad 5. argum. solutione 2.* quos sequitur Sanch. *d. numero 13.*

Verum illa quæstio valde inter Authores controuersa est, an conditio contraria bonis matrimonij, si honesta sit, illud vitiet, vel tantum, quando est turpis? nempe si duo contrahant hac lege, vt in perpetua castitate viuant, aut consummato matrimonio religionem profiteantur.

In hoc dubio duæ sunt opiniones contrariæ: prima habet conditionem honestam, licet contrariam bonis matrimonij illud non irritare, vt in exemplo proposito. Primum fundamentum huius partis est, quia copula carnalis non est de essentia matrimonij, licet sit contra bonum prolis, ergo conditio de illa non habenda non illi aduersatur, atque ideo nec illum irritat: & confirmatur, quia hac conditione videntur contraxisse Beata Virgo Maria, & Sanctus Ioseph.

Secundum, quia si ambo ante matrimonij contractum voto simplici religionis, aut castitatis se astrinxissent, esset verum matrimonium: non obstante ea obligatione, qua alteruter tenetur ab altero minime petere debitum, ergo idem erit, quamuis ea conditio apponatur in ipso contractu: sed & sunt pro hac opinione alia fundamenta, eamque tenent, & probant Paludan. Abulens. Barbat. & alij quos refert Thomas Sanchez *lib. quinto de matrimon. disputatione 10. numero 1.* vbi eam dicit vere esse probabilem, & refert Soto dicentem, non esse omnino improbabilem.

Secunda principalis opinio habet eiusmodi conditionē, de qua agimus, vitiare matrimonium. Primo, quia quamuis nō sit de essentia matrimon. vt proles, & copula intendantur expresse, requiritur tamen ne adjiciatur dissensus cōtrarius potentię seu possibilitati ad illa. i. e. ad prolem, & copulam cum ius, & potentia ad carnalē copulam sit substantialis: matrim. namq; essentialiter consistit in mutua corporū traditione: quia vterque constituitur dominus alterius corporis, ad quod dominium intrinsece consequitur ius, & potestas vtendo illo corpore: sed quando in contra-

contractu matrimonij apponitur conditio, vt vterque coniux maneat in perpetua castitate, non solum tollitur copula carnalis, sed etiam jus, & potestas ad talem copulam, obligatur namque ad non petendum, nec reddendum, quæ obligatio efficaciter impedit, ne sequatur tale jus, & potestas, quantum est ex parte sua: ergo quamuis conditio illa honesta sit, repugnat tamen intrinsecis, & necessariis, ac matrim. illud destruit. Secundo eadem sententia probatur, quia illa conditio est contra bonum prolis: ergo irritatur. Præterea Summus Pontifex *in d. cap. fin.* expresse disponit conditionem contra bonum prolis matrimonium annullare, nec distinguat, an conditio honesta sit, vel turpis, nec vim facit in conditionis turpitudine, sed in repugnantia bonis matrimonij, ergo æque illis repugnat siue turpis, siue honesta sit, & ideo merito hanc sententiam tenent D. Thom. *in quarto Sentent. distinctione 18. quæstione vnic. articulo 4. ad tertium.* & alij quamplurimi Authores, quos in vnum congerit dicens eam esse probabiliorem Thom. Sanchez *vbi supra. numer. 2.* ex quibus manifeste constat hanc esse receptiorem, veriorem atque tenendam sententiam: vbi *numer. 7.* respondet ad argumenta contraria, dicens ad primum, quod licet copula non sit de essentia matrimonij, est tamen obligatio, & potestas ad copulam, quæ per id pactum tollitur.

12 Ad confirmationem de matrim. contracto inter Beatam Virginem, & S. Ioseph respondet Thom. Sanch. *d. numer. 7.* quod ipsi non contraxerunt cum ea conditione sed absolute, & vere consentientes in jus, & potestatem suorum corporum quamuis vterque haberet propositum seruandi castitatem, & ita D. Thom. *in quarto, distinctione 30. quæstione 2. articulo 1. quæstiuncula 2. ad tertium*, inquit, Virgo implicite consensit in copulam, at copula nunquam fuit in proposito: erat enim à Deo certificata nunquam subsequi debere: quod optime explicat Pater Suarez *de vita Christi, quæstione 29. articulo secundo, sectione 1. in fin. folio mihi 126.* dicens potuisse Beatam Virginem consentire in verum matrimonium, non consentiendo actualiter, & explicite in carnalem copulam neque absolute, neque sub illa conditione; si Ioseph debitum petisset, quia jam erat certa illum nunquam petiturum, vnde superuacaneus, & otiosus fuisset talis actus, dixit autem Suarez actualiter, & expresse, quia in radice, & in causa videtur habuisse hunc consensum consentiendo in matrimonium, quod de se ad talem copulam ordinatur, & ita inquit idem Suarez videtur loqui Caiet. & Augustinus *in cap. Beata Maria 27. quæstione 2.* dum dixit: Beata Maria committens virginitatem suam Diuinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo sed Diuinæ inspirationi in vtroque obediendo: hanc explicationem Suarez refert, & sequitur Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. disputatione 28. numer. 4.* qui *d. disputatione 10. num. 7. lib. 5.* satisfacit cæteris fundamentis prioris opinionis.

13 De conditione autem: contraho tecum, si prius de voto castitatis sic obstrinxeris, vt nunquam à me petas, nec reddas debitum: licet aliqui censuerint non vitiare matrimonium, quos refert, & sequitur Petrus de Ledesm. *de matrimonio quæstione 47. articulo quinto, dubio 4. in solutione ad secundum. §. quod vero attinet, folio 235.* verius est, & tenendum vitiare matrim. quia est contra bonum prolis, vt docent, & profitentur Sotus *in quarto sentent. distinctione 29. quæstione 2. articulo 3. verficul. in prima autem conclusione*, D. Couar. *in quarto Decret. secunda parte, capu. 3 §. 1. numero quinto.* Barthol. à Ledesm. *de matrim. dub. 25. conclusione quarta*, & Enriquez *libr. 11. de matrimon. capit. 4. numer. 1. libr. 12. cap. 2. in fin.* quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 10. numer. 3.* & nos quoque probamus.

Idem dicendum est in pacto apposito in matrimonio de non exigendo debitum, vt cum Adrian. Viguerio, & aliis contra Sylu. *verbo matrimonium 4. quæstione 7.* tenet idem Sanch. *vbi supra, numer. 4.* qui *numero 5.* idem probat in pacto de nunquam cohabitando simul, secus si ad tempus: si autem fieret pactum, vt certis diebus abstinerent à copula, vt sextis feriis, vel alio tempore vltra bimestre præfinitum à jure post initum matrimonium, esset irritum matrimonium. 14

Pactum autem appositum in matrimonij contractu vt liceat ingredi religionem ante consummatum matrimonium, non vitiat ipsum, quia jure inest ea conditio, vt cum aliis bene resoluit Thom. Sanch. *vbi supra, num. 6.* vbi idem docet in qualibet alia conditione apposita, quæ jure inest, & similiter in ea conditione, vt liceat vtrique ex communi consensu post consummatum matrim. religionem profiteri. 15

Secus in conditione quod tenerentur ambo, vel alter ingredi religionem ante, vel post matrimonij consummationem quia ea conditio est contra matrimonij substantiam, ac proinde non valeret matrim. vt ibi bene probat. 16

Vlterius si credimus M. Ant. Cucho *lib. 5. instit. mat. titulo 11. numero 112.* conditio illa apposita in matrimonio, vt alter coniux minime teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere, matrim. non vitiat: sed verius, & tenendum est contrarium, quia præfata conditio est contra matrimonij substantiam, atque proinde ipsum vitiat, ita tenent, probant & docent respondendo contrariis Adrian. *in quarto. quæstione 3. de matrim. dubio 4.* D. Couar. *in quarto de sponsalib. secunda parte cap. 3 §. 1. num. 6.* Ludou. Lopez *in suo Instruct. conscient. in materia de matrimonio, cap. 42. folio 1080. columna 2.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæstione 47. articulo 5. dubio 4. circa solut. ad tertium. dub. 2. folio 236.* & Thom. Sanchez *lib. 5. de matrimonio, disputatione 11. num. 2.* vbi *num. 3.* cum Adrian. & Petr. de Ledesm. *vbi supra.* quod valet conditio, ne vitiet matrimonium, quod possit coniux debitum negare, quoties id sibi licet, vt si alter non habet jus justitiæ ad petendum, vt si alter adulteretur, vel petat in loco sacro, quia à jure inest. 17

Quod si conditio contraria matrimonio apponatur ab altero tantum ex contrahentibus, an vitiet matrimon. quatuor opiniones refert in hoc Thom. Sanchez *d. lib. 5. de matrim. disputatione 12. per totam.* Prima est tenentium, requiri, vt vitiet matrim. vt apponatur ab vtroque contrahente, ita, vt si alter contrahens apponat, & alter contradicat, aut taceat, valebit matrim. & hanc tenent Innocent. *in d. cap. fin. de condi. app. numero 1.* & ibi Host. *paulo post princip.* Ioann. And. *numer. 2* Ant. de Butr. *numer. 7.* Cardinal. *numer. 1. & in fin.* Enriquez *numer. 4.* Alex. de Neuo *numer. 8.* Præpos. *numer. 1.* & eam dicit valde probabilem D. Couar. *in quarto de sponsf. 2. parte, c. 3. §. 1. num. 11.* & sequuntur alij plures relati cum suis fundamentis per Th. Sanch. *vbi sup. n. 1.* 18

Secunda sententia habet non esse matrimonium, sed sponsalia; hanc tenent aliqui relati per Couar. *vbi supra*, & probant Enriquez, & Ludouic. Lopez citati per Sanch. *vbi supra num. 2.*

Tertia sententia docet non esse sponsalia, nec matrimonium: hanc tenent Imol. Aret. Couar. Ant.

Cuch. Adrian, & Petrus de Ledesma relati per Sanchez *vbi supra, numero tertio*, & procedit secundum eundum Ledesm. licet copula statim sequatur.

Quarta sententia habet, vt si copula sequatur fit matrim. vnde supponit, quod copula deficiente non erit matrimonium: hanc tenent Abb. *in d. ca. fin. numer. 6.* Rosel. Sylvest. Greg. Lopez, & Lanzelotus, quos refert Sanchez *vbi supra*; qui *numero 5.* in hac varietate opinionum inquit, primam, & quartam sententias esse valde probabiles, tertiam cæteris probabiliorem: ego vero, etsi videam primam esse satis receptam, eam non sequor. Secundam, & quartam improbo. Tertiam autem omnino probo, teneo & sequor tanquam verissimam, & probabiliorem.

19 Diuersitas namque in consensu vitiat contractum, vt quando alter pure consentit, alter vero sub conditione, *l. 1. §. si quis simpliciter, ff. de verb. oblig.* non enim vniuntur inter se consensus, ex qua vnione contractus oritur: ergo cum in hoc matrimonio inueniatur hæc diuersitas, erit nullum, quod si dicamus tacendo alterum contrahentem videri consentire alteri adjiciendi conditionem contra substantiam matrimonij, vel etiam trahendo corpus etiam cum contradictione. Respondeo eo ipso vitiari matrimonium, ac si ambo sub eadem conditione ab initio contraxissent ex decisione *d. cap. fin.* in prima parte egimus de conditionibus contra substantiam, & naturam matrimonij in eo appositis, vt vitient ipsum matrimonium.

20 Idem est dicendum ac tenendum in eiusmodi conditionibus appositis in sponsalibus de futuro, vt docet D. Thom. *in 4. Sent. distinctione 27. quæstione 2. articulo primo, in corpore*, communiter receptus per Theologos, quos refert Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 14. numero 1.* qui *numero 3.* bene intelligendos esse omnes eos, quando conditio contraria ponitur tanquam implenda post matrim. quia semper illud annullat, secus quando ante debet impleri, quia tunc, si est contra inseparabilitatem, vt contraham tecum nisi ante initum matrim. aliam ditiorem, aut pulchriorem inuenero; quia tunc non vitiat matrimonium: si vero sit conditio contra fidem matrimonij, vt si ante matrim. forniceris, tunc valebunt sponsalia reiecta præd. conditione tanquam turpi, si vero aduertetur bono prolis, vt si ante matrim. venena, quibus sterilis efficiaris, sumas, vitiat sponsalia, vt ibi recte probat reiecta alia distinct. Petri de Ledesma.

De conditionibus turpibus adiectis contractui matrimonij.

21 Hactenus egimus de conditionibus contra substantiam, & naturam matrimonio adiectis, vt ipsum vitient, dicamus juxta ordinem *d. ca. fin. de conds. apposit.* de conditionibus turpibus, quæ quidem sicut & impossibiles rejiciuntur, & pro non adiectis habentur, ac proinde remanet purum, & validum ipsum matrim. fauore ipsius matrimonij, vt inquit tex. noster.

22 Et in primis antequam rationem huius decisionis inquiramus, supponendum est, in hac materia in foro conscientiæ standum esse intentioni contrahentis: in dubio autem standum est præsumptioni fori exterioris, & definitioni Ecclesiæ, vt fatentur vniuersi DD. & docet cum eis Thom. Sanchez *lib. 5. de matrim. disputatione 1. numero 4.* communiter autem adjiciuntur eo animo conditiones turpes, vt adimpleantur: ergo his non impletis nec sponsalia, nec matrimonium communiter obligabunt, contrarium probat *d. c. fin.* ergo procedere non potest.

Nihilominus tamen decisio nostri tex. recte procedit, & seruanda est: licet enim maxima difficultas sit in cognoscenda eius ratione; cum Ecclesia nunquam præsumat esse verum matrimonium, vbi ex ipsa forma contractus non apparet consensus, alias enim temerarie præsumeret, & absque causa: sed ex forma contractus matrimonij celebrati sub conditione turpi non apparet consensus absolutus, sed sub illa conditione, ergo, &c. 23

Attamen in nostra specie ideo Ecclesia excludit turpem conditionem, quia ad peccandum incitat, quare censetur, vt impossibilis, id namque possumus, quod honeste possumus, *l. nepos Proculo 125. ff. de verb. oblig.* ita Sotus *in 4. distinctione 29. quæstione 2. articulo 3. paulo post principi. conclusione 2.* Greg. Lopez *in l. 6. in gloss. si fiorenres, titulo 4. partita 4.* Palat. noster Concanonic *lib 5. de contract. c. vltim. vers. quamobrem dixerim*, Barth. à Ledesm. *de matrim. dubio 25. conclusione 9.* Ludou. Lopez *in secunda parte Instruct. in materia de matrimonio, c. 43. ad fin.* & hæc est vera ratio ad nostrum tex. secundum Thom. Sanch. *lib. 5. de matrim. disputatione 15. num. 4.*

Neque obstat contra hanc rationem, & decisionem nostri tex. quod similiter incitet ad peccandum conditio turpis de futuro apposita in aliis contractibus præter matrimonij contractum, & nihilominus non rejicitur, sed vitiat contractum, vt *infra hoc ca. num. 39.* dicemus. 24

Item, quia similiter conditio contraria substantiæ matrimonij, vt si te adulterandam prostitueris, incitat ad peccandum, vt patet, & tamen non rejicitur, sed vitiat matrim. vt *in d. c. fin.* in prima parte: ergo non ideo non rejicitur conditio turpis, quod ad peccatum incitet, his namque bene satisfacit Thom. Sanchez *d. disputatione 15. num. 6.* 25

Addens quod si in nostra specie de conditionis turpis adiectione, de qua agimus ex aliis coniecturis deprehenderetur non aliter voluisse, & contraxisse, quam sub ea conditione, in vtroque foro non erit matrimonium purum, vt docet optime D. Couar. *in quarto de sponsal secunda parte, ca. 3. §. 2. num. 5.* & idem in conditionibus impossibilibus probauit Thomas Sanch. *d. lib. 5. disputatione 3. numero 17.* & de vtrisque *d. disputatione 15. numer. 6. vers. vnde fit*: vbi *numer. 7. vers. sed dico inquit, d. ca. fin.* intelligendum esse modo contrahentes norint conditionem esse turpem, quia si honestam esse crederent, non rejiceretur, sed fortiretur naturam aliarum conditionum honestarum, vt impleta conditione, & non aliter obligatio matrimonij, vel sponsalium consurgeret, ita tenet Adrian. *in quarto, quæstione 3. de matrimonio, dubio 7.* & D. Couar. *vbi supra, numer. 6.* & Ludouic. Lopez *secunda parte sui Instruct. conscient. in materia de matrim. ca. 43. folio 1093.* oportet etiam, vt præd. conditiones habeantur pro non adiectis in matrimonio, vt vterque contrahens norit jus eas rejicere, & habere pro non adiectis, vt probat cum Alexandro Carrer. Sanch. *disputatione 15. numero 7. verficul. oportet etiam*, & loquens in conditionibus possibilibus idem quod in turpibus in hac eadem specie probauerat *d. lib. 5. disputatione 3. numero 11. & 12.* quæ sunt maxime notanda in praxi, forsitan namque & raro hoc nouerint contrahentes matrim. sub præd. conditionibus turpibus vel impossibilibus. 26

Conditio tamen turpis, quando est de præsenti, aut de præterito non rejicitur de matrimonio; nempe: contraho tecum, si es inimica Petri, vel si hominem occidisti, illa namque verificata valebit matrimonium, secus autem non, ita docet D. Thom. 27

in quarto distinctione 29. quæstione vnic. articulo 3. quæstiuncula tertia, & ibi Palud. *quæstione 2. articulo 5. numero 28.* & alij quamplures, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 15. numero 5.* contra Victor. *in summa, in materia de matrim. numero 260.* tenentem, quod iuxta dispositionem *d. cap. fin.* conditio turpis de præsenti, aut præterito habetur pro non apposita in foro exteriori: sed fallitur in hoc ex supradictis.

28 De illa autem conditione sponsalibus adiecta, contraham tecum si mecum concubueris, an sit turpis, nec ne? sunt opiniones D. Couar. *in quarto de sponsal. secunda parte. cap. 3. numero 13.* & Anton. Cuch. *lib. 5. instit. mat. titulo 11. num. 31.* censent, eam conditionem non esse turpem, ac proinde suspendere contractum, quod post Concil. Trident. locum habere non potest, cum iam sponsalia de futuro non transeant in matrim. de præsenti per copulam, & sic conditio ita turpis est.

Glossa vero *in capit. primo de sponsal. duo verb. permiserit*, & ibi Anton. de Butr. *numero 6.* Anchar. *in fin.* Abb. *numero 6.* Præpos. *numero 4.* & alij Summistæ censent, eam conditionem non suspendere sponsalia.

Rectius tamen alij censent, si intelligatur de conditione turpi, rejici tanquam turpem, & manere sponsalia absoluta: si vero de concubitu licito, & matrimoniali, suspendere vsque ad aduentum conditionis: hanc opin. tenent. Card. *in d. cap. 1. numero 3. de spons. duo*, & ibi Alexand de Neuo, *numero 9. & 10.* Adrian. Sotus, & Nauar. quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *de matrimon. lib. 5. disputatione 16. numero 3.* vbi *numeris sequentibus*, agit de aliis conditionibus, si te virginem inuenero, contraham tecum, vel si in primo coitu mihi placueris. 29

30 In sponsalibus quoque de futuro conditiones turpes adiectæ rejiciuntur sicut appositæ in matrimonio, vt habet concors omnium Doctorum sententia indubitata, & receptissima, quamuis contrariam dicat probabilem Petrus à Ledesm. vt late probat, & sequitur prædict. receptissimam sententiam, & tenendam cum suis Authoribus Thomas Sanchez *vbi supra, lib. 5. disputatione 17. per totam.*

31 Conditiones autem impertinentes adiectæ matrimonio, nempe si quis contrahat cum aliqua hac conditione, si non est cæca, muta, cocles, leprosa, aut alia insigni turpitudine deformata, vel hanc edocta es artem & alendam vitam, suspendunt contractum matrimonij, nec aliter est validum, nisi illis stantibus, vt tenet, & late probat idem Thom. Sanch. *d. lib 5. disputatione 18. per totam*, vbi loquitur etiam in conditione, si es pulchra, aut bene morigerata.

32 Sed an idem quod de conditionibus est dictum hucusque, dicendum quoque sit de modo, & demonstratione, & causa latissime agit pro & contra Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 19. per totam*, qui tandem rem hanc aliquibus conclusionibus tenendis absoluit cum suis Authoribus, Prima est.

33 Modus contrarius substantiæ, aut bonis matrimonij ipsum annullat, sicut & conditio contraria, vt ibi late probat *numero 5.*

34 Secunda conclusio est, si modus sit impossibilis, vt contraho tecum, vt digito cœlum tangas, valet omnino matrimonium reiecto modo, & similiter si sit turpis, vt ibi per eum, *numero 7.*

35 Tertia conclusio est, si modus est necessarius, vt contraho tecum, vt moriaris, habetur statim pro impleto, vt ibi per eum, *numero 8.*

Quarta conclusio, si modus sit honestus, & possibilis non suspendit matrim. sed statim est validum, vt ibi per eum, *num. 9.*

Quinta conclusio, si sponsalia contrahantur in diem, vt contraham recum abhinc vno anno, quamuis non obligent ad contrahendum ante anni lapsum, at non suspendunt, sed statim sunt pura, & obligant, vt ibi late probat, *num. 11.* 37

De conditionibus impossibilibus adiectis matrimonio.

Nunc vero agamus de conditionibus impossibilibus adiectis matrimonio, & cas quidem pro non adiectis sicut turpes haberi propter fauorem matrimonij decidit expresse text. *in dict. cap. fin. in secunda parte de condit. appositis, & l. 6. titulo 4. partita 4.* 38

Ex quibus iuribus constat, quod matrim. contractum sub conditione impossibili est statim validum reiecta conditione.

Contra hanc definitionem pro ratione dubitandi adduco plura. Primum est, quod quando adjicitur conditio impossibilis, nulla videtur esse coniectura consensus, sed imo potius dissensus: vt constat ex communi vsu loquendi: dum enim petita negare volumus, dicere solemus, dabo tibi, si digito cœlum attigeris, quasi expressius dicam, vel saltem dicere velim, quod sicut cœlum digito attingere est impossibile, ita nolo obligari tibi ad dandum, licet hoc promittam sub illa conditione, vel quia scio esse impossibile digito cœlum attingere, sicque hoc verificari non potest ideo & tibi hoc promitto. Ex quo manifeste colligitur dissensus dandi vllo vnquam tempore: ergo cum contraho matrim. cum aliqua sub conditione, si digito cœlum attigerit, vel sub alia impossibili, eodem modo deficit consensus contrahendi, & potius significatur dissensus, ergo nullum est matrimon. deficiente consensu, qui necessario requiritur ad valorem matrimon. vt sunt de hoc quamplura iura vulgaria.

Secunda difficultas est, quia cæteri contractus sub conditione impossibili celebrati non valent, *l. impossibilis, septima in ordine, ff. de verb. oblig. §. si impossibilis instit. de inutilib. stipul. l. non solum 30 ff. de act. & oblig. l. 3. titulo 4. partita 6.* sed matrimonium maiorem libertatem consensus desiderat, quam cæteri contractus, quia cæteros contractus metus non irritat, nec ab eis excluditur pœna, vt constat ex late traditis per Thom. Sanch. *lib. 4. de matrimon. disputatione 8. numero 4. cum sequentibus*, quod secus omnino est in matrimon. *vt in cap. cum locum, & cap. cum apud de sponsal. cum simil.* ergo à fortiori non valebit matrimonium cum prædict. conditione impossibili celebratum. 39

Tertio ex ratione *d. l. non solum*, vbi loquens in conditione impossibili adiecta in cæteris contractibus, inquit, quia in ea re, quæ ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas expectatur, quorum proculdubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem: ergo fauor matrimonij absque contrahentium consensu illud validum efficere minime potest.

Quarto, quia quando conditio est facto ipso, & non à natura impossibilis, vt si montem aureum mihi dederis, ius præsumit dissensum iuxta glossam *in §. impossibilis, verb. impossibilis, instituatur hæred. instit.* & constat ex *l. cum hæres 4. §. 1. ff. de stat. lib.* ergo sine consensu matrimonium valere non potest, hanc & alias difficultates, & rationes dubitandi contra tex. *in d. cap. fin. in secunda parte de cond. appositis*

rio adducit, & congerit Thom. Sanchez *lib. 5. de matrimonio, disput. 3. num. 1.*

40 Vbi numeris sequentibus septem intellectus ponit ad illum text. Primus est Paludan. *in quarto distinctione 29. quæstione 2. articulo 5. conclusione 5. numero 24.* nempe, quod in foro conscientiæ non sit legitimum matrimon. si consensus defuerit in apponente conditionem impossibilem. sed teneri vere contrahere ob præceptum impositum *d. cap. fin. de condit. appos.* sed hunc intellectum merito improbant communiter DD. quos ibi refert Sanchez *numero 2.* quia Ecclesia *in d. cap. fin.* non imponit contrahendi præceptum, sed definit reiecta conditione impossibili matrimonium sub ea celebratum esse validum.

Secundus intellectus ad *d. cap. fin. de condit. app.* est Adrian. *in quarto, in materia de matrimonio, quæstione 3. dubio septimo*, nempe vt prædict. *cap. fin.* non intelligatur, quando contrahentes norunt conditionem esse impossibilem, tunc enim manifeste videntur dissentire, & refutare matrimon. vnde non est habenda pro adiecta: intelligi ergo debet ille text. dum contrahentes reputabant esse possibilem eam conditionem. sed hunc intellectum reprobat etiam ibi Sanch. *numero 3.* ex rationibus de quibus ibi per eum.

Tertius intellectus est, matrimonium adiecta conditione impossibili vitiari, & ita non haberi pro adiecta, & quod text. contrarius *in dict. cap. fin.* in secunda parte non agit de conditione suspendente matrimonium, sed de resoluente, quæ iam matrimonium semel contractum, & perfectum in euentum conditionis resoluit, vt constat ex exemplis ibi adductis, nempe, si te adulterandam prostitues, & donec inueniam aliam pulchriorem, &c. impleri enim non possunt hæ conditiones, nisi matrimonio iam perfecto, & hoc denotant verba illa *dict. cap fin.* in secunda parte. licet aliæ conditiones, si turpes aut impossibiles fuerint, &c. dicto namque alias similes præcedentibus, in prima parte refert, & præterea, quia exceptio debet esse de regula, *l. nam quod liquide, § fin. ff. de pen. legat.* vnde sensus illius text est, quod quando conditio impossibilis est resolutiua, quæ impleri debet, matrimonio iam contracto habetur pro non adiecta, & manet matrimonium legitimum, & pure contractum, vt contraho tecum, si cœlum ascendas, sed nihilominus hic intellectus est contra torrentem omnium Doctorum, & non verus, vt pluribus rationibus eum merito improbat Thomas Sanchez *d. disputatione 3. numero 4. libro quinto.*

Quartus intellectus est, non fuisse Pontificis mentem, dum dixit, impossibilem conditionem habentem pro non adiecta, quod eo ipso iudicatur matrimonium sub tali conditione contractum validum esse, sed eius sensum esse, quod impossibilis conditio habeatur pro non adiecta, id est, quod non magis nocear contractui matrimonij, quam si non fuisset apposita: vnde duntaxat voluit, quando per alias coniecturas præsumitur adfuisse consensum, reputandum esse matrimonium, ita Sot. *in quarto, distinctione 29. quæstione 2. articulo 2. versic. mens ergo Pontificis, & in versic. & in summa nos nihil aliud, & in solutione ad primum*, & vterque Ledesma *in locis relatis* per Thom. Sanch. *d. disputatione 3. numero 5.* vbi hunc intellectum ex pluribus quoque improbat.

Quintum intellectum adducit idem Author ibi *numero 6.* ex Ludouic. Lopez quem quoque ibi improbat.

Sextus intellectus est, vt decisio *d. c. fin.* in secunda parte non intelligatur de conditionibus à natura impossibilibus, vt si cœlum digito attigeris: hæ namque vitiant matrimonium, quia cum non apponantur vt adimplendæ, irrisorius est contractus iudicandus, sed intelligitur de conditione se impossibili, & sic adiecta, vt adimplenda, quia natura possibilis erat, at est pensata contrahentium qualitate impossibilis. vt si fœminæ pauperi aliquis paupertatis suæ conscius dicat, contraho tecum, si des in dotem Regnum, aut centum mille aureos, hæ enim conditiones, quæ obseruandę proponuntur, repelli debent à matrimonio. & pro non adiectis haberi: sic docent viri doctissimi, vt testatur Couar. *in quarto de sponsat. secunda parte, cap. 3. §. 2. numero 9.* & Ledesm. *in secundam partem 4. quæstione 45. articulo 1. fol. 441.* nec abhorret Sot. *in quarto distinctione 29. quæstione 2. articulo 2. verficul. profectores*, nec Couar. *vbi supra* hunc intellectum omnino reprobat, sed displicet Thom. Sanch. *d. disputatione 3. numero 7.* ex pluribus, quæ ibi adducit: & præcipue, quia communiter DD. intelligunt *d. cap. fin. de condit. appos.* in secunda parte de conditionibus natura impossibilibus, ita glossa ibi, *verbo contra substantiam*, & ibi Henricus, *numero 4. & 6. expressa l. 6. titulo 4. partita 4.* & ibi Gregor. Lopez, *in glossa Monte de oro.* & tenent alij infiniti Authores congesti per Sanchez *ibidem.*

Septimum intellectum ad illum tex. (vltra Thom. Sanch. *vbi supra*) inuenio nouiter assignatum à Gregorio de Valen. *in quarto tom. disput. 10. quæst. 3. de consensu requisito ad matrim. punctio 3. versic. ea consideratio est, colum. 1798.*

Nempe quod qui apposita conditione turpi, vel impossibili cum aliqua persona contrahit, non solet idipsum in vanum, & otiose facere. sed vt expectationi, & desiderio personæ satisfacere videatur; nullo autem modo satisfacere videretur, si ex animo vellet contractum matrimonij ex conditione pendere, quæ vel omnino impleri non potest, vel non sine peccato: non enim esset putandum, quod altera persona alioqui prudens talem conditionem admitteret, & sic minime illi ea ratione satisfieret, quoniam igitur animus in eiusmodi contractibus esse solet, voto alterius personæ contrahentis satisfacere, merito præsumi potest non serio adiungi huiusmodi conditiones, quæ si serio adiungerentur minime alteri contrahenti satisfieret: iam vero cum ex vna parte præsumi possit in tali casu deesse serium consensum, si videlicet tantummodo conditio impossibilis, vel turpis consideretur, & ex alia parte respiciendo ad finem contrahendi, qui moraliter loquendo solet esse, alteri contrahenti satisfacere, prudenter præsumi possit adesse tunc serium, & absolutum consensum, non pendentem ex adiecta conditione, recte potuit Gregor. IX. illius Decretalis Author statuere propter fauorem matrimonialis causæ adesse potius consensum absolutum ob rationem iam dictam, quam non adesse præsumeretur. Quod si forte ex aliis circumstantiis aliquando appareret totam huiusmodi actionem fuisse institutam iocose, & ludibrie, non dubium est (inquit ille) quin matrimonium sit habendum pro inualido, quia solum vult Pontifex, vt ex ipsa quidem conditione impossibili, vel turpi adiecta non fiat iudicium, quod matrimonium fuerit inualidum, sed potius contrarium præsumatur, nisi aliud aliquid manifeste obstet, vt bene hoc attigit Soto in loco citato, & tandem inquit Gregor de Valent. quod nec sibi videtur non incommoda huius difficultatis explicatio.

Sed quamuis hæc doctrina vera in se sit, incerta tamen, & generalitati illius text. interpretatio mihi

mihi videtur, & non absoluens omnino difficultatem eius, nec aperiens eius sensum clarum.

Quare verior mihi, & tenendus videtur alius, quem vltimo loco assignauit illi tex. Thom. Sanch. *vbi supra, numero 18.* omissis pro nunc fundamentis late ab eo ibi suppositis *numm. 8. cum sequentibus* quousque eius intellectum percipiamus.

41 Est igitur verus intellectus *d. c. fin. in 2. eius parte*, quod omnes fideles dum sacramenta recipiunt, censentur ea recipere iuxta Ecclesiæ intentionem, & dum contractum ineunt matrimonij, & norunt, conditionem esse impossibilem, eamque rejici ab Ecclesia, & pro non adiecta haberi, sed præsumere consensum esse purum & absolutum, videntur velle pure contrahere iuxta intentionem Ecclesiæ, & vt ipsa Ecclesia præsumit, & judicat tale matrimonium, nisi aliter explicent suam intentionem, ita tenent Paludan. *in 4. distinct. 29. q. 2. in fin.* Couar. *in 4. de sponsal. 2. parte. c. 3. §. 2. numer. 1.* Greg. Lopez *in l. 6. titul. 4. partita 4. verbo, monte de oro. ad fin.* Metym. *C. de restit. q. 23. duplici columna ante fin. §. ad cognoscendum autem.* Palat. *libr. 6. de contract. cap. 6. conclusione 1. & 2.* Alex. Cat. *libr. 3. de sponsal. c. 5.* quos sequitur Thom. Sanchez *vbi supra, d. num. 18.*

In eo autem consistit in hoc fauor matrimonij, quod in dubio Ecclesia ea verba præsumit accipi in sensu absoluto, perinde ac si conditio impossibilis, vel turpis adiecta non esset, ita vt ipsa nihil penitus operetur, in dubio namque pro matrimonio judicandum est juxta tex. *in cap. fin. de sententia, & re judic.* cum enim vertatur periculum animæ, si forte separentur, qui legitime sunt coniuncti, & aliis coniungantur matrimonijs, elegit Ecclesia in dubio, quod animæ tutius est: satius enim est contra statuta hominum dimittere legitime coniugatos, quam contra legem Dei eos separare, vt cauetur *in capit. licet ex quadam de testib.* ita cum aliis Thom. Sanch. *d. disputatione 3. num. 15.* at in cæteris contractibus extra matrimonium non vertitur periculum animæ ex annullatione eorum ob appositionem conditionis impossibilis, & hæc est vera ratio differentiæ inter eos ex vna parte, & contractum matrimonij ex altera, & in hoc consistit eius fauor, cui innititur decisio *d. c. fin. in secunda parte de condi. appos.*

Nunc autem pro comprobatione, & declaratione nostri text. & huius octaui intellectus, & præd. resolutionis in eo contentæ, quam tenent præcitati Authores, & sic potest dici recepta & vera, ac proinde tenenda.

42 Primo obseruandum duximus, quod conditio impossibilis reputata à contrahentibus possibilis non rejicitur à contractu matrimonij, vel sponsalitij, sed suum sortitur effectum in vtroque foro: quare tex. *in d. cap. fin. in secunda parte* intelligendus est, quando sciebant contrahentes conditionem esse impossibilem, secus si possibilem eam esse reputabant, vt quatuor fundamentis, & plurium Doctorum authoritate comprobat Thom. Sanch. *lib. 5. disputatione 3. numero 8. per totum cum 2. numeris sequentibus.*

43 Secundo obseruandum est, quod ad hoc, vt conditio impossibilis habeatur pro non adiecta vltra cognitionem impossibilitatis conditionis, exigitur etiam, vt contrahentes conscij sint constitutionis d. capit. fin. statuentis eam conditionem haberi pro non adiecta, & censeri purum matrimonium, imo non sufficit si alter ex contrahentibus norit conditionem esse impossibilem, & jus statuere haberi pro non adiecta: sed oportet quod vtrumque notum sit ambobus contrahentibus, vt late jure comprobat, & tenet post alios Authores, quos citat Sanch. *vbi supra. d. disputatione 3. numero 11. cum sequentibus*: quare moraliter loquendo, vt ipse inquit *numero 14.* nunquam (ego vero dico raro) eueniet casus in quo judicandum sit etiam in foro exteriori, matrimonium contractum sub conditione impossibili esse validum, quia nunquam erit notum hoc jus saltem fœminæ contrahenti.

Tertio erit obseruandum, conditionem impossibilem haberi pro non adiecta, quando dubia est contrahentium intentio, an animo consentiendi, vel potius irridendi eam conditionem apposuerint, tunc enim fauore matrimonij (vt diximus) præfertur pars illius conseruatrix, & præsumit Ecclesia ea verba accipi in sensu absoluto, ac si conditio præd. adiecta non esset: quare si ex aliis coniecturis constaret conditionem impossibilem loco appositam esse absque animo contrahendi, tunc etiam in foro exteriori non haberetur pro non apposita, sed vitiaret matrimonium, quia jam intentio contrahentium non est dubia, ita probat cum aliis Sanch. *vbi supra, numer. 15. & 16.* vbi *numero 17.* ponit duas coniecturas dissensus in hac specie. Prima est, quando si contrahens expressit, nolle se aliter contrahere nisi illa conditione eueniente. Secunda quando magna est disparitas inter contrahentes, quia hæc coniectura satis judicat dissensum, & facit præsumere joco contractum esse matrimon. vt per eundem *lib. 3. disputatione 15. num. 7.* 44

In summa decisio *d. capit. fin. in 2. parte de condi. appos.* non solum locum habet in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, dum contrahentes incerti sunt ac dubij an oppositam habuerint intentionem, sicut de Baptismo, ac cæteris sacramentis, dum ea recipiens non est certus de contraria intentione, judicandum est in vtroque foro juxta intentionem Ecclesiæ recepisse, vt late probat respondens obiectioni Petri de Ledesma Thom. Sanchez *d. lib. 5. disputatione tertia, numero 20.* qui *numeris sequentibus* infert juxta supradicta, ad intellectum *Clement. vnic. de consanguin. & affinit. & capit. fin. de bigam.* vt ibi per eum. 45

Ad rationes dubitandi, & difficultates supra adductas contra decisionem tex. *in d. cap. fin. in 2. parte de condi. appos.* respondet idem Sanch. *vbi supra. numero 24.*

Tandem decisio tex. *in d. capit. fin. in 2. parte de condi. apposit.* procedit non tantum in conditione impossibili de futuro apposita in matrimonio, sed etiam in conditione impossibili de præterito, vel de præsenti, secundum Palud. dicentem forte hoc esse verum *in 4. distinctione 29. quæstione 2. articulo 5. numero 28.* D. Couar. *in quarto de sponsa. parte. capit. 3. §. 2. numero 2.* Gregor. Lopez *in l. 6. in glossa, monte de oro, ad finem. tituli quarto, partita 4.* Adrian. & alios, quos refert, probat, & sequitur Thom. Sanch. *d. lib. 5. disputatione 4. numer. 3. & 4.* 46

Procedit etiam tex *in d. cap. fin. in 2. parte* in conditionibus jure impossibilibus, si ut in impossibilibus per naturam, nempe vt illæ quoque rejiciantur, secundum Couar. Gregor. Lop. *vbi supra*, necnon & Thom. Sanch. *numero 6. & 7.* vbi *numero 8.* hoc intelligit, si conditio referatur ad jus præsens, secus si ad futurum, vt in exemplo ibi per eum posito cum sua sublimitatione, & *num. 9.* limitat alio modo. 47

De conditionibus autem de solo facto impossibili- 48